

Et tandem in scholas recepta, ad sui perfectionem deduci poterit.

Etsi autem statim in tuis disputationibus apparet, te non admodum in Musicorum, præstantiorum scriptis versatum esse, fundamenta hujus artis non satis cernere, & iisdem relictis tantum quorundam auctoritates sequi; putabam tamen crebra in hoc præstantissimo studio exercitia & tempus etiam, hæc aliquando limatura & correctura, & cum aliàs satis habeam, quod agam, statuebam hanc palestram Academicis & Philosophis, qui & otio abundant, & propter insignem eruditionem acutiùs universam in hoc studio conquirere & discernere possunt, relinquendam: mihi verò quiescendum, & quid alij amplius in hac præstantissima arte scripturi sint, considerandum. At verò cum in quæstione quarta, disputatione octavâ decadis secundæ, quod vidi tandem, cum eò legendo pervenissem, nominatim me accuses & novitatis temeraria & odiosa: & quòd temerè artium præcepta convellam, & mutationes affectem, quæ non sint alicujus momenti, sed quæ tantum colore quodã